

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5556

Auteur(s) : Jean Mallet, écuyer, Graville (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Robert de Brucourt [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1247, janvier

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'écuyer Jean Mallet, seigneur de Graville, donne à Robert de Brucourt en dot de sa sœur Philippe plusieurs biens dont son hôtel (aula) à Bernay.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862, t. 1, p. 280-281.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod ego Johannes Mallet, scutifer, dominus de Grasvilla, dedi et concessi Roberto de Bruicourt, in maritagio com Phillippa, sorore mea, aulam meam de Bernayo, com situ et com gardinis que fuerunt condam magistri Greu, deffuncti, et octies vinginti et decem libras terre ad turon., sitas ad usus et consuetudines Normannie in hiis locis : videlicet quidquid habebam apud CAMPEAULZ, apud PUILLETAM, apud QUESNEIAS, apud MARLONNE, apud COULDREYUM, apud FOUMECHON et apud THOMASSERIAM, et Radulfum de Lunda, com tenemento quod de me tenebat et Rogerum de Caorchiiis, com tringinta tribus solidis et uno denario turonensi redditus de nemoribus que de me tenebat, et Guillebertum Taillefer, com omnibus tenementis apud burgum et villam, excepto redditu pratorum que tenet, et Ricardum Caillou cum omnibus tenementis suis, Lecelinam Bevel, Gauffridum Esveillart, Guillelmum Le Hairs, Guillelmum Couillemar, Vabelem la Trepierre, Anetem de Porta ; Nicolaum, prepositum ; Guillotum des Fresnes, Robinum de Caren, Johannes Lame, Radulfum le Loremeir, Johannem Cronu, Ricardum Guillon, Radulfum Torel, Robinum de Atrio, Berthelotum du Burgo comitis ; Andream le Gras, Johannem de Rosseria, Guerartum Franceis, con duobus capponis de exitibus, et Guillelmum le Bossu, com tenementis suis. Omnes autem predictos homines dedi et concessi predicto Roberto, com omnibus eorum tenementis que de me tenebant, et Johannem de Bourgevilla, cum redditu de domo pannorum quem michi reddebat. Et Mariam de Bourgevilla, cum redditu de domo pannorum quem michi reddebat. Dedi eciam dicto Roberto quinque acras et dimidiam pratorum sitas ante molendinum Noel, que prata vocantur Prata Comitis. Hec autem omnia supradicta dedi et concessi in hominibus et terris com omnibus pertinentiis que possunt et debent ad manum domini pervenire, excepta mouta pro qua mouta supertenta justicia fieret per manus serviencium dicti Roberti, sive heredum suorum si necesse fuerit. Preterea sciendum est quod ego predictus Johannes Mallet dedi et concessi eidem Roberto ducentas acras et decem novem acras et dimidiam nemorum, sitas in nemoribus meis de Bernaye, que vocantur Nemora Comitis, que nemora possunt et debent vendi sine dangero et sine tercio domini regis. Dedi vero et concessi dicto Roberto centum et duodecim septarios frumenti ad mensuram de Bernayo, et tres septarios grossi bladi ad eandem mensuram capiendos et recipiendos annuatim in molendinis meis de Bernayo per menses, videlicet novem septarios et quatuor boessellos frumentum, et unum

quartam grossi bladi per unum quemque mensem. Ita siquidem quod nisi predictus redditus dicti frumenti et dicti bladi ad dictos terminos plenarie solutus fuerit, ego Johannes et heredes mei volumus et concedimus quod dictus Robertus et heredes sui de dicta Phillippa procreati faciant in dictis molendinis totam plenariam justiciam quam dominus potest et debet facere pro redditu supertento. Omnia autem supradicta dedi et concessi dicto Roberto de Brucourt in maritagio con dicta Phillippa, sorore mea, tenenda et jure hereditario possidenda dictis Roberto de Brucourt et heredibus suis de dicta Phillippa procreandis, libere et quiete, in liberum et quietum maritagium. Et in hunc modum ego predictus Joh. et heredes mei predictis Roberto de Brucourt et heredibus suis de dicta Phillippa procreatis omnia supradicta contra omnes tenemur garantizare, vel valore ad valorem in nostra propinquiori et propria hereditate excambiare. Et ut hoc perpetue firmitatis robur obtineat, presentem cartam sigilli mei munimine confirmavi. Actum est hoc anno gracie Christi millesimo CC^o quadragesimo sexto, mense januarii.